



LIBRARIES

UNIVERSITY OF WISCONSIN-MADISON

**Venus vitriolata, in elixer conversa : nec non
Mars victoriosus, seu elixerizatus; sive,
Modus conficiendi lapidem philosophicum
tàm è venere, sivè cupro, quam à marte, sivè
chalybe.**

Norton, Samuel, 1548-1604?

Francofurti: Typis Caspari Röteli, impensis Guilielmi Fitzeri, 1630

<https://digital.library.wisc.edu/1711.dl/IVQVDCMF2GVPJ8I>

<http://rightsstatements.org/vocab/NKC/1.0/>

The libraries provide public access to a wide range of material, including online exhibits, digitized collections, archival finding aids, our catalog, online articles, and a growing range of materials in many media.

When possible, we provide rights information in catalog records, finding aids, and other metadata that accompanies collections or items. However, it is always the user's obligation to evaluate copyright and rights issues in light of their own use.

*VENVS VITRIOLATA, IN ELIXER
conuersa; nec non Mars victoriosus, seu Elixerizatus,*

Siue

MODVS CONFICIEN-
DI LAPIDEM PHILOSOPHI-

cum tam è Venere, siue Cupro, quam à Mar-
te, siue Chalybe.

Olim à

SAMVELE NORTONIO BRISTOL-
lenfi inchoatus:

Nunc verò

Editus studiis, & diligentia

EDMUNDI DEANI ANGLI, MED. D. EBO-
racensis Medici auctior, & perfectior.

Terentius.

NIL TAM DIFFICILE, QVIN QVÆ-
rendo investigari possit.



FRANCOFURTI,
Typis Caspari Rötelij, Impensis Guilielmi Fitzeri,

Anno M. DC. XXX.



Illustrissimo Heroi, ac Domino

D. THOMÆ VICECOMITI
WENTWORTH, D. SEV BARONIDE
Nouo Marisco, & Ouersleyo, &c. tam Consilij Regij in par-
te Angliæ Boreali, quam Caroli Regis magnæ Britanniae,
Franciæ & Hiberniæ à secretioribus consiliis. Præsidi di-
gnissimo, omniq; virtutum genere clarissimo, Me-
cænati suo summo.

HONORATISSIME DOMINE.



ON idèd gestit animus Nortoniani huius opusculi
frontispicium insigni tui nominis splendore decora-
re, ac si timeret impiè ipsum Nortonum odiosis aliter
in tenebris delitescere: quem sanè ætas hæc nostra fa-
cilè prædicabit. Summam Bristollensum gloriam, &
artis Chymicæ maximum ornamentum. Is dum in vi-
uis commoratus est, honoranda illa Alchymia (quæ quondam suus
proauus) meditabatur studia; in quibus progressus quisq; leuior pel-
liciebat adeò studiosum viri animum, vt in quæ vix dùm ascendit ani-
mi nostri fides, ea ipsa in artis secretissima oculi illius penetrauit acies.
Verbis dici non potest, quantum viri animus patriæ consulens, & po-
steritati, in hoc (sicut in reliquis nunc à me editis) insudauit opere.
Quod licet posthumum iam sit, eoq; forsan infœlix censeripot
nomine; Patronum tamen nec sedulo quærit, nec seriò optat. Quor-
sum enim magnalicius nominis Prætenturam peteret, nî quòd in-
gruentes ignominia, & calumniæ voces interciperet? Contra quas

A 2 omnes

omnes prouidus pater, & futurorum (vt videtur) præscius, id munivit
scientiâ certâ, dum viuus, & gratâ (ynceritate) legauit moriturus. Hæc
cùm apud me cogito, nec insolens fore credo, nec intempestiuum,
opusculum hoc nobilissimo tuo dicare nomini: quod cùm vindica-
rum sit oblatrantium rai, nil aliud (me iudice) iam spirat, nisi sibi
(quam & honori tuo præcabor indies) fœlicem æternitatem.

Honori, & Dignitati tue


Devotissimus

Edmundus Deane.



Tabula,

*Tabula, siue Ramus Arboris Philosophica de Elixere
Cupri, seu Veneris.*



Venus.
Cuprum.
Leo viridis.

Quasi fuerunt multi viam Lapidis mineralis in Vitriolo, seu cupro-
sa viridi: Sed ignorantia prorsus decepti, discesserunt, illusi. Vitrio-
lum enim illud commune per reprehensionem dicitur à Philosophis
fatuorum Leo viridis. Sed nobilis ille Leo noster viridis ex metallico
cupri corpore originem sumpsit.

Quamquam enim ex vitriolo Romano oleum extrahi possit quo-
vis Balsamo, odore suavius, & gustui delectabilius, si in Spir: vini è vi-
triolo calcinato, eius surripiatur tinctura; volunt tamen philosophi, &
præcipiunt, vt de metallica virtute illud constaret de quo faciend a
est metallorum transmutatio; ideoque ex corporibus fieri docent,
non ex spiritibus, vti ex vitriolo, sulphure, arsenico, & his similibus.

Ideò scriptum invenimus in Turba Philosophorum, & in exer-
citatione prima: Lapis Philosophorum est materia metallica, conuer-
tens substantias & formas metallorum. Hanc autem conuersionem
non fieri, nisi per suum simile, iam dudum ab omnibus Philosophis est
conclamatum. Neesse est igitur, Lapidem Philosophorum ex metal-
lica materia gigni.]

Sed si ex spiritibus fieri posset, melius tamen foret, & multò ma-
gis philosophicè, ac metallicæ naturæ propinquiùs, ex corporibus,
quàm ex Spiritibus. Sed si per artem Spagyricam corpus in spiritum
verteretur sic, vt idem fieret & spiritus, & corpus, non esset dubitan-
dum, quin de tali corpore, vel spiritu Lapis fieri posset.

Concessum erit, quòd vitriolum tale sit corpus, quod testatur
Paracelsus in sua Aurora sub hoc ænigmate, & arcano veterum Philo-
sophorum.

*Visitabis Interiora Terra, Rectificando Inuenies Occultum Lapidem Ve-
ram Medicinam.*

Ex prima cuiusque verbi litera huius ænigmatis hoc colligitur
verbum, *Vitriolum*, de quo eorum intentio erat, vt ex eo Lapis, seu
Medicina fieret.

Si itaque in mineris, & interioribus terræ partibus inueniretur
effodiendo vitriolum cupri, de quo rectificando, vel purificando ex-
traxeris oleum rubeum, & terram foliatam pulchram, eorum vtrum-
que coniungendo, inuenires occultum Lapidem, veram Medicinam.

Quod rectè fieri scires, si cuprum more debito in vitriolum con-
vertere

vertere noueres. Proculdubio enim vitriolum tali modo compositum, multò antecelleret vitriolum commune, Hungaricum, aut Romanum ex terra confectum; quia esset vitriolum corporale & metallicum: aliter enim corpora metallica cum eo transmutari nequirent. Quia vt inquit Philosophus, omne simile generat suum simile, vt Medicina, nempè metallica, metalla transmutaret.

Visitanda sunt itaque, inquit Paracelsus, interiora terræ, non solummodò terra, quod vitriolum est, sed interiora terræ, siuè vitrioli. Per interiora enim terræ, eius dulcedinem, ac rubedinem intelligi voluit: quoniam in occulto talis vitrioli, subtilis, nobilis, & fragrantissimus eius succus, seu purum oleum latet.

In cuius productionis modo hæc cautela præcipuè notanda est; vt hæc cupri in vitriolum productio nulla fiat aut ignis calcinatione, aut materiæ distillatione, nè viriditate sua priuaretur.

De preparatione huius vitrioli nihil loquitur Paracelsus; per cuius taciturnitatem multi errauerunt. Illum itaque paulisper hîc relinquere decreuimus, & propositum huius Rami ordinem vltius prosecui. Quapropter cum metalli calcinatione incipimus. Notandum tamè est prius, quòd ista cupri calcinatio ideò fit, vt in vitriolum conuertatur, non autem vitrioli ex cupro confecti.

Accipe ergo tot cupri libras in tenues laminas redacti, quot tibi ^{Calcinatio cupri.} placuerit, & dissolue in aqua corrosiua; donec tota materia dissoluta fuerit in aquam claram, ac viridem; quã ad digerendum repone trium, aut 4. dierum spatio, donec materia sit clarificata & digesta. Hanc euacua in Alembicum, & in calido fimi, vel balnei gradu abstrahatur aqua corrosiua, ita vt tota substantia remaneat sicca: tunc enim calcinatur.

Posteà superfunde vnam lagenam aceti distillati super duas ^{Productio vitrioli.} libras huius calcinatæ materiæ, beneque obturetur in vase vitreato, & collocetur in balneo ferè bulliente 7. dierum spatio. Quo infrigidato, reponatur in Alembicum, ad distillandum totum acetum ab ea in calido balnei gradu, & habebis in fundo Alembici vitriolum optimè coagulatum, Romano longè pulchrius.

Quod quidem vitriolum nos non dissoluimus in aqua pluuiali, ^{Solutio vitrioli.} Paracelsitarum more, sed potius dissoluendum erit in Aceto philosophorū, siuè in Aqua nostra calcinatiua, nempè Lacte virgineo mixto cum

cum æquali quantitate aquæ corrosivæ, & post eius dissolutionem, & perfectam digestionem, nempe post 15. dierum spatium, illud in Alembicum reponimus, vt Aqua calcinatiua tollatur in balneo. Qua abstracta, inuenies in fundo Alembici aquam quandam oleaginofam, viridem, perlucidam, & claram: quam postea reconfortandam esse iudicamus cum spiritu vini superposito, & post quinque aut 7. dierum digestionem volumus, vt spiritus vini calore balnei distilletur. Sic enim reperiēs aquam viridem perfectè rectificatam, ab omni immunditie puram, subtilem, & spiritualem factam. Nam nisi prius benè soluat, & rarificetur, putrescere nolit. Stet itaque perfecta hæc vitrioli corporalis dissolutio loco alterius incoctæ, & crudæ præparationis Paracelsicæ.

Putrefactio.

Sed vt iam dextras iungamus cum Paracello in modo putrefactionis, ad illum redimus, & cum eo dicimus atque volumus, vt hæc aqua in calido Hypocausto digeratur, vitro benè clauso mensium aliquot spatium, ac tantisper, dum varij colores appareant, supremaque rubedo, quæ suæ putrefactionis terminum indicat. Nec dum isto processu rubedo satis fixa fuerit existimanda, quin ab interioribus accidentalibusque terræ sit inquinamenti repurganda latius ad hunc modum.

Resolutio.

Resoluenda, vel rectificanda erit cum aceto distillato, quamdiu acetum coleretur, & postea filtrabitur calidum, donec terreum inquinamentum prorsus ablatum sit, fæcesque semotæ. Hæc est eius tinctura vera, & optima resolutio & rectificatio; de qua breui benedictum oleum est eliciendum.

Distillatio.

Resoluta vel rectificata hæc tinctura in bociam ponatur, Alembico mox superposito, & in balnei gradu distilla acetum suauiter.

Separatio in Spiritum,

Postea in lento cinerum calore eleua Spiritum lentè temperateque; & cum videris fumum in vitro ascendere, & per rostrum Alembici guttas rubeas descendere, scito, quòd tunc rubeum incepit distillare oleum, & Anima. Distillationem, vel separationem continua, donec totum ascenderit. Qua finita, istud habebis oleum in receptorio, à terra sua eleuatum, & separatum, Balsamo quouis pharmacoplico & aromatico delectabilius, atque dulcius, ac redine carens omni.

Corpus.

Quod quidem oleum Agni Sanguis appellatur. Aperi ergo cucurbitam,

ram, & in fundo inuenies terram quandam albissimam, nitentem, candentemque niuis instar. Hanc serua, tuereque ab omni puluere. Et sic possides Lapidis Corpus, seu Terram claram, ab Oleo suo, seu Spiritu, & Anima separatam.

Cuius terræ cum suo oleo coniunctio subsequitur, maximum arcanum, vtpotà matrimonium cœleste, Animæ summè purificatæ, & ablutæ per Agni sanguinem cum splendente, nitido, purificatoque suo Corpore. Hoc est verū matrimonium supercœleste, quo vita prolongatur in diem postremum, destinatumque. Ad hunc igitur modum Anima, Spiritusque vitrioli (qui sanguis eius existunt) cum suo Corpore purificato copulantur, vt in æternum sint inseparabilia.

Quapropter excipe terram hanc nostram foliatam phiola vitrea, Coniunctio. cui sensim æquale pondus sui olei affunde. Animam suam Corpus momentō recipiet, amplecteturque. Quandoquidem Corpus Animæ suæ desiderio plurimum afficitur, & Anima Corporis sui amplexu perfectissimè delectatur.

Sed vt in Lapidem conuertantur, coniunctas hasce materias Lapis. pone in arcanorum furnum, scilicet Athanor, 40. diebus. Quibus transactis, oleum habebis absolutissimum mirandæ perfectionis: quo Mercurius, & reliqua metalla imperfecta quævis vertuntur in aurum, sicut inquit Paracelsus (si ei credas) qui ad projectionem procedit cum Lapide sine fermentatione.

Lapide hoc modo peracto, vt ad eius fermentationem iam veniamus, sine qua impossibile est formam ei dare, non audemus contra totam Philosophorum turbam singulari vlli vnus dogmati adhærere, nec contra eos omnes soli assentiri Paracelso; quoniam omnes ex necessitate decreuerunt Lapidi formam esse dandam per fermentum, & quod Elixer non efficitur sine duorum corporum coniunctione, aut vniōne, nempe Lapidis ex imperfecto corpore facti, & fermenti ex perfecto; & in quantum Fermentum esset spiritualius, in tantum Lapis esset maioris penetrationis, & transmutationis.

Hiscæ igitur præceptis edocti, aliis præcipere non æquum iudicamus, vt in fermentationis loco ad projectionem procederent, vel vt Lapis eo modo fermentaretur cum sole, siuè auro corporali antea in-

Venus Vitriolata.

B

altera-

alterato; quod erit fundamentū primæ projectionis. Nam Philosophi iubent, vt projectio prius habeatur de perfecto fundamento, & illud super corpora imperfecta proiciatur, vt fiant Medicinæ. Quid autem Lapidis, siue Elixeris fundamentum est perfectum, nisi solummodo aut album, aut rubeum fermentum? prius itaque fermentandus est Lapis in Elixer, antequam proiciatur super fundamentum corporale, nempe aurum.

Fermentatio.
Elixer.

Volumus igitur, vt hoc oleum absolutum iungatur quartæ parti olei Luminis rubei, vt sic fiat eiusdem Lapidis fermentatio, & in Elixer conuersio.

Postea augmentetur in virtute per solutionem, & coagulationem; & in quantitate per projectionem, adprimè super Lumen, siue fundamentum, nempe aurum; postea super depuratum Mercurium; & ea Medicina super reliqua corpora (sicut docuimus in libro de Mercurio rediuuio) præsertim ea, quæ sunt magis projectioni idonea; id est, quæ maximè fusibilia sunt, vt plumbum, & stannum: quæ post eorum mundificationem sunt maximè projectioni procliuia propter facillimam suam liquefactionem.

Sic visa, visitata, & peruisitata sunt interiora terra, & rectificando inventus est occultus Lapis, vera Medicina ex Leone Philosophorum viridi, & non fatuorum; & ex vitriolo corporali & metallico, non ex terrestri & minerali cuperosa compositus.

C O R O L L A R I U M.

De purgatione, & depuratione Arg. viui in prænominato libro satis dictum fuit. Restat itaq; vt iam loquamur de depuratione plumbi, & stanni.

Funde igitur plumbum in crucibulo, & cum fustum videris, sic in igne stet per quartam vnius horæ partem. Tunc plumbo impone modicum salis armoniaci, cum quo paulisper stet in igne, plumbum cum virga ferrea aliquantulum agitando, donec Sal armoniacus in fumum transuerit, & grossities, quæ supernatat è crucibulo tollatur. Postea finito plumbum infrigidari, & erit album, sicut argentum.

Sic


Sic poteris purare, & depurare plumbum, siue stannum tuum, antequam proicies: quia nulla sunt alia corpora, siue metalla, tam fusibilia, & projectioni idonea, sicut ista. Quamobrem vnum quodque Elixer proicere oportet ad metalla facienda, seu transmutanda super Argent. viuum, aut super plumbum, vel stannum.

Venus Vitriolata.

B 2

Arbor

requiritur ut in hoc



*TABVLA, SIVE RAMVS ARBORIS PHILOSOPHI-
ca de Elixere Martis, siuè Chalybis.*

Huic metallo Tabulam, siuè Ramum per se ascribere minimè e-
rit necessarium, quoniam in Arbore ista vniuersali eius docetur Pra-
ctica. Quamobrem solummodò eius partes enarrare, vel potius re-
censere æquum iudicauimus. Vt igitur cum opere concordemus, sit
hic corporis processus, vt, dum de corporibus tractamus, huius Arbo-
ris scalam, siuè gradus non frangamus, vt sequitur.

1. Calcinatio.
2. Solutio.
3. Separatio.
4. Coniunctio.
5. Putrefactio in sulphur.
6. Sulphuris præparatio in Lapidem.
7. Fermentatio Lapidis in Elixer.

Quia Mars inter omnes Planetas, siuè corpora, maximè terrestris
existit, nulli erit dubium, quin citissimè ad corpus minimo cum labo-
re perducì queat; & ideò in Sal facillimè conuertatur: quod per cal-
cinationem efficitur. Primo opere igitur eius conuersionem in Sal in-
dicare volumus.

Intelligendum est itaque, quòd duæ istæ nobis surgunt conside-
rationes, nempe vt vno modo Mars calcinetur ad corpus, siuè Sol: al-
tero, vt ferrum per calcinationem præparetur ad solutionem; de qui-
bus in operis principio agendum est.

Practica nihil differt: nam vtrùm Martem calcinas siuè ad sal, si-
uè ad menstruum, vna solummodò sufficit præparationis via; nempe
vt accipias ferri, siuè chalybis benè limati, quantum volueris, quo in
æquali sulphuris pondere posito, in Bociam lapideam impone, & su-
perpone Alembicum ad sulphur sublimandum in cineribus, donec
totum sulphur sublimetur ab eo; & limatum, quod in fundo remanet,
si ad Corpus conuertendum erit, in aqua Regia dissoluatur, & in Sal
conuertetur. Pro cuius purgatione, si acetum distillatum superfude-
ris, & iterum detraxeris, nouum acetum repetendo ter, & detrahen-
do, sal habebis flauum, siuè rubeum in fundo; quod tum fit tuum Cor-
pus,

Venus Vitriolata.

B 3

Mars.
Ferrum.

Calcinatio
ad Sal. 1.

pus, & Sal perfectum, vt postea Animæ suæ, & Spiritui coniungatur. Istud seruabis sal in cinerum caliditate, donec tempus venerit operandi cum eo.

Calcinatio
pro solutio-
ne.

Nunc ad Practicam Martis pro solutione veniamus: Accipe igitur limaturæ chalybis, siuè ferri, quantum tibi placuerit, & pone in concham plumbarij ferream: ceto prius impletam; quæ in ignis flamma feruetur per tres horas. Tunc concham cum ferro abstrahæ, & infrigidari finito, ac opus reitèra 4. vel 5. vicibus. Tum cum sulphure calcina more prædicto.

Solutio. 2.

Quod cum calcinatum videris, repone ad soluendum in Aquæ nostræ calcinatiuæ duplici proportione (nempè Aceti Philosophorū acerrimi, mixti cum æquali parte aquæ corrosiuæ) & ster, donec illa Aqua soluerit in frigiditate, quantum potuerit, & sibilare desiuerit. Quo factò, vas solutionis collocetur in cineribus calidis, & ibi ster 4. vel 5. dierum spatio. Tunc cola Aquam, & desicca illud, quod erit insolutum, & iterum calcina, & solue; & cum dissolutum videris, ita vt Aqua in rubeum tingatur colorem, euacua, quod tinctum videris, in Cucurbitam, & serua, donec solueris tantum ferri calcinati, quantum tibi placuerit. Accipe tum omnes Solutiones, & per Alembicum abstrahæ Aquam solutiuam in balneo bulliente. Materiæ in fundo remanenti adde acetum distillatum, & super eam ster in balneo calido, & feruente 7. dierum spatio. Iterum remoue vitrum è balneo, & filtra solutionem, & iterum abstrahæ acetum in balneo, & in fundo grossum Chalybis, siuè ferri oleum remanebit. Sed si non satis solutum fuerit ad arbitrium tuum, reitèra solutionem in aqua Raymundi calcinatiuæ, quam tibi prius reuelauimus in libro de Tinctura Physica, & Alchymica. Melius quoque foret, si solutio ista postea reconfortaretur cum aqua vitæ, seu spiritu vini superposito, & postea abstracto ab ea in balneo; & sic solutum habes ferrum in liquore.

Separatio. 3.

Quamobrem ad distillationem nunc propera, vt fiat seperatio; & in Eocia lapidea distilla cū igne forti, augendo eius gradum, quantum possis, & recipe oleum, siuè Animam, tincturam Martis rubeam per rostrum Alembici à scæcibus derelictis separatam. Quod quidem oleum est permanētissima tinctura pro opere rubeo ad tingendū sulphura, vel ad exaltationem omnium Elixerum in colore: nam ea altius tingere, & colorare illa facit.

Tin-

Tincturâ sic præparatâ, coniunctioni intende, & operare cum sa-
le, quod antea referuari iussimus. Accipe igitur tres, vel 4. eiusdem vi-
cias, & æqualem Animæ suæ proportionem ei dato. Et sic Corpus, Spi-
ritum, & Animam coniunxisti. Notandū enim est, quod Lapis omnis
albus ex Corpore, & Spiritu metalli imperfecti fit tantum; sed rubeus
insuper Animam his additam habet, in oleo rubeo contentam, in quo
Spiritus etiam occultè latet.

Coniun-
ctio. 4.

Iam Ouum tuum vitreum benè sigilla, & pone hanc materiam
coniunctam in balneo ad putrefaciendum, & ibi serua, donec per 150.
dies in eo steterit putrescens, & in varios colores transiens, vsque ad al-
bedinem: nam tum fit sulphur naturæ. Tunc remoue vitreum, & in
cineribus colloca, & ibi maiori ignis gradu calefacito sulphur tuum al-
bum, & rubifica vsque ad rubedinem.

Putrefactio
in sulphur. 5.

Postea solue sulphur tuum rubeum cum propria Anima, siue
tincturâ, & iterum solue, & fixa, soluendo in balneo, & fixando sub i-
gne in fixatorio. Et sic præparasti Sulphur in Lapidem, vt fermen-
tetur.

Sulphuris
præparatio
in Lapidē. 6.

Fermentatio est, sicut prius diximus, cum resoluti Solis Sulphu-
ris oleo, siue fermento rubeo in quarta proportionem ad hanc Medici-
nam, seu Lapidem, vt per eius additionem fiat Elixer, omnia alia cor-
pora imperfecta transmutans in aurum.

Fermentatio
Lapis in E-
lixer. 7.

Multiplicatio eius, augmentatio, siue exaltatio in virtute, qualita-
te, siue bonitate fit hoc modo. Vt igitur huius Elixeris virtus vnoquo-
que tempore magis crescat, cum anima sua, siue tinctura dissoluatur,
& ea postea abstrahatur, & iterum desiccetur: nam toties dissoluen-
dum, & desiccandum est, donec amplius desiccari nolit, sed maneat in
oleo incombustibili. Tunc enim est Elixer tertij ordinis. Et sic Elixer
multiplicatur in virtute.

Multiplica-
tio in vir-
tute.

Multiplicatio in quantitate fit, sicut hinc sequitur. Accipe partem
vnam huius Elixeris in virtute sic multiplicati, & prouinciat super 100.
vel 1000. partes (secundum virtutem tui Elixeris) auri purificati, &
fusi; & aurum conuertetur in massam frangibilem, & puluerizabilem.
Quæ massa bene puluerizetur in mortario ferreo, vel æneo, siue super
lapidem marmoreum. Tunc proice huius pulueris pondus vnum su-
per partes 100. Arg. viui, purgati, abluti, & ad ignem feruentis, & totum

Multiplica-
tio in quan-
titate.

erit Medicina. Deinde proiice partem vnā Medicinæ istius congelatæ super partes 100. Arg. viui præparati, vt prius, & fiet totum Medicina. Cuius pars vna conuertet partes 100. vel 1000. aliorum metallorum in aurum purum. Et hoc modò Elixer etiam multiplicatur in quantitate.

C O R O L L A R I V M.

Nota hîc, quòd Martis Elixer omnia alia Elixera excellit. Magis enim rubificat, altiùs tingit, & corpori humano magis prodest. Nam spleni maximè conducit, ventrem constringit, vulnera sanat, ossium fracturas conglutinat, grauissimum mensium fluxum siuè album, siuè rubeum sistit, & generaliter omnes superfluos fluxus cohibet.

F I N I S.